



# Antonii Thylesii Consentini poemata, Cyclops et Galatea.

<https://hdl.handle.net/1874/420681>

qec

6

ΛΑΒΩΝΟΣ ΟΙ ΣΥΣΟΝΟΓΛΥΠΤΟ

Επιτροπή Μεγάλης Ακαδημίας

# ANTONII

THYLESII CONSENTINI POE-  
MATA, CYCLOPS ET  
GALATEA.

TIGVRI, EX AEDIBVS CHRI-

stopori Proschouer, Anno M. D.

XXXI.

# CHRISTOPHORVS FROSCHOVER

Tigurinæ iuuentuti s.



Vum nouam Antonij Thylesij uiri doctissimi  
mi Tragœdiam, quæ Imber Aureus inscribi-  
tur, tam auide amplexi sitis, ut eam etiam  
magnifice, feliciterq; frequetissimo in Theatro arte sce-  
nica egeritis, ubi Græcas & latinas subinde Fabulas non  
sine laude luditis, arbitror equidē me uobis rem pergra-  
tam, omnibusq; poëticæ studiosis facturū, si eiusdem Thy-  
lesij pulcherrimum poëma, cui titulus Cyclops, typis ex-  
cuderem, cuius argumentum hoc est. Aeneas Achemeni-  
dem ab Vlysse in antro Polyphemī inter trepidationem  
relictum, sed iam abs se in nauem receptum, seruatumq;  
interrogat, quas Polyphemus post effossum oculum que-  
relas ediderit, eas Achemenides non grauatis Aeneas ac  
pulcherrime refert. Sed & alia Thylesij nostri poëma-  
ta, quæ apud nos adhuc latent, expectate, & Valete. Ti-  
guri XII. die Martij, Anno M. D. XXXI.

Virg. 3.  
Aenei.

# ANTONII

THYLESII CONSENTINI.

## CYCLOPS.

HOC quoq; Achemenides referas. timor omnis abesto.  
Aequora namq; tenet iam classis. fare agē Cyclops  
Quos fremitus. miseros solitus quos edere questus,  
Lucis inops errat dum cassus lumine. & heros  
Exanimis procul alta petens effugit Vlysses.

Aeneas.

Nate Dea, Teucrum decus, & spes certa, fatebor  
Sospite quo nunquam Neptunia Pergama flammis  
Consedisse, iuvant quando hæc, quæ sæpius hausí  
Auribus, expediam dictis. præcordia quamuis  
Pulsat adhuc, prohibetq; pauor audita profari.

Achemenides.

Est prope spumantes fluctus sub rupibus Actæ  
Spelæum scopulis super impendentibus ingens.  
Dira domus, suffixa horrent ubi terga ferarum  
Brachiaq; informi dependent squallida tabo.  
Inde frus, cum uix aperit Sol aureus orbem,  
Egreditur pecudes inter, uastusq; recumbit,  
Qua salis assiduo pulsu caua saxa resultant.  
Hinc procul è densis latitans ubi conditus umbris  
Errabam, tales iactantem uoce querelas  
Auribus his tacitus suspensis sëpe notaui.

## THY LESII

Cyclops Inuisum superis caput hoc cur parcis in undas  
alloqui= Lethæas undas tandem demergere: si qua  
tur Pro= Es Dea Trinacriæ, quæ rapta silentibus umbris  
serpinā. Imperitas. memini questus audisse parentis,  
Parentis Armatusq; animis ingentibus ilicet ultro  
Cereris. Accurrit latus opem. timor ante sed illum  
Illum Plu Abstulerat. uoluī tibi quam peperisse salutem,  
tonem. Hanc mihi ne inuideas. age rursus fistula carmen.

Aut pater altitonans unum è tot millibus ignem  
Fulmineum. tibi quem manus hac formauerat olim  
Incute, ut immani transfixus uerbere uitæ  
Quod supereft, reddam. placitaq; in morte quiescam.  
Enceladus quondam uelut actus turbine uasto  
Mole sub hac flamas spirat latere usus ex ardet  
Secula tot, nunquam Iouis ira extincta quiescit.  
Applorans rursus dic mecum fistula carmen.

Iam procul Eois surgens rubicunda tenebras  
Dispulit ore nitens roseo Titonia coniux.  
Vndiq; ex extinctus stellarum diffugit orbis,  
Mox ruit, elabensq; flagrantibus exit ab undis  
Extremas radijs lustrans Sol igneus oras,  
Et tremulis fulgore uadis accenditur æquor,  
Impellunt anime quod leniter aspirantes.  
Omnia quæ quondam fuerant mihi dulcia uisu.  
Quæ nunc perpetua pereunt caligine mersa.

Applorans

CYCLOPS.

Applorans rursus dic mecum fistula carmen.

Plurima per sylvas errat uaga turba uolucrum

Natiuis de picta coloribus. illa nec usquam

Conspicienda fluit celeri per inania lapsu,

Argutis tantum resonant loca uocibus usq;.

Tuq; arguta iterum resonans dic fistula carmen.

O nemus hinc illinc surgens super æthera, quondam

Grata quies fesso. cum stratus gramine molli

Suspiciens teretes ramos super impendentes

Gaudet am uiridi specie resupinus in umbra.

Hic hederæ lambunt molles . hic Arbutus antris,

Eminet hic fugiens in coelum garrula Pinus.

Cum leuis hirsutas frondes mouet aura Fauoni.

Garrula tuq; etiam dic mecum fistula carmen.

Obstrebit ecce cadens saxis manantibus humor.

Et salebris offensa procul respondet imago.

Ite simul prope me pecudes, simul ite capellæ.

Lanigeræ pecudes, hirtæ simæq; capellæ.

Pascite propter aquas.hic mollia pabula campi,

Hic dumosa uiret rupes.ne uis sera uenti

Precipites summa specula deturbet in undas.

Ne lupus insidias circum malus inuestiget.

Ite simul prope me pecudes, simul ite capellæ.

Tu quoq; pelliti custos gregis, ardua, pernix,

Strenua, fida, sagax, uenatrix, effera, pugnax,

THYLESII

Leuce no Commi<sup>n</sup>us occurrens fures age candida Leuce.

men c.a= Dulcius hoc iterum repetat mea fistula carmen.

us Cy= Cœruleo surgunt rorantes gurgite Nymphæ,  
clopis. Stellantes nox picta sinus ubi fusca recondit.

Quas inter mea cura uenit Galatea sorores.

Hanc nunquam uitreis è fluctibus egredientem,

Ceu quondam solitus fueram spectare licebit.

Et nunc illa nouos casus miseratur amantis,

Affidet & forsan, sed supprimit ore querelas,

Ne mea præsenti laceret præcordia luctu.

Dulcius hoc iterum repetat mea fistula carmen.

Iamq; procul uisus tristes agnoscere uoces,

Et gemitus per sepe meas grauis impulit aures.

Quandoquidem unanimes pariter coniunxerat ambos

Fidus amor, pressitq; tenaci compede uinctos.

Ex quo leuis adhuc matrem comitatus eunte,

Namq; iuuat meminisse meos mea fistula amores,

Conspexi roseis carpentem lilia palmis.

Et strophio religata comas formosa nitebat.

Dulcius hoc iterum repetat mea fistula carmen.

Tunc primum rudis insolito iactatus amore

Errabam, memini bis denas condere noctes,

Eisq; dies denos solis sub rupibus Aetnæ,

Nec minor Aetnæis quam rupibus æstuat ignis,

Gliscebat tenero sub corde Cupidinis ignis.

Inspxi

C Y C L O P S .

Inspexi primum liquidis tunc fontibus ora,  
Floreat malis cum nondum pulchra iuuentus.  
Luxuriemq; comœ fingebam letus opacam.  
Te quoq; tunc primum modulans mea fistula cantus  
Edocui. quibus obstupuit genus omne ferarum,  
Atq; euulsa procul radicibus affuit arbor.  
Tum uaga præcipites tenuerunt flumina cursus,  
Et mea: uicta nouis concentibus, effer a quamuis,  
Nata mari quamuis, properans è fluctibus ultro  
Adnabat. dolor est, hæc et meminisse uoluptas.  
Frigidulam ah. quoties trepidamq; amplexus in acta  
Nusquam amittebam, donec suspenderat altam  
Luna facem, et tremulis splendesceret ignibus æther.  
Tanta mihi quo nunc ceciderunt gaudia? nec te  
Aspiciam posthac leuibus super æquora plantis  
Nereidas inter blandas agitare chores.  
Tristius extremum resonet caua fistula carmen.

Mea Gā  
latea.

Viuite montiuagi Panes, uos uiuite Nymphæ.  
Ille ego sum Cyclops Sicule modulator auenæ.  
Pascere doctus oues, calathosq; intexere iunco,  
Et canibus lustrare sagacibus omnia sylue.  
Viribus inuictus quondam, quæ cuncta nefandus  
Abstulit æterna rapiens caligine lucem.  
Tristius extremum resonet caua fistula carmen.  
Stultus ego: Eurymedes prædixerat omnia uates.

Nefandus  
Vlysses.

## THYLES II

Infelix Cyclops, itachus tibi frontis honorem  
 Demet Dardanijs ueniens rate uectus ab oris.  
 Quæ, nisi dempta foret mihi mens prius, euita fessæ.  
 Venerat, & blando cælans immania uultu,  
 Insidijs animum rapuit malus ante, dolosæ  
 Tristia dona ferens nimium pretiosa Lyæi.  
 Nectar erat dulci mihi Nectare dulcius Hyblaæ,  
 Et ceu Lethæo dilutum flumine sensus  
 Eripuit, circum uisi concurrere montes.  
 Et remeare uadis refluentibus Acidis undas.  
 Tum geminum caput attollens pecus omne per æquor  
 Cernere erat passim liquidis colludere campis.  
 Iamq; sopor pressit languentem, sponte nec inde  
 Territus exilii, cæcaq; in nocte uolutus,  
 Cæde madens, iustusq; genas, ferus, anxious, amens.  
 Voce fremens, miser errabam, ruit undiq; syluis  
 Turba minax, nec quò se immittat conspicit usquam.  
 Ille etenim insultans, uictorq; fugacibus Austris  
 Vela prius procul hinc dederat leuis ales in altum.  
 Atq; ingrata sui monumenta eterna reliquit.  
 Tristius extreum resonet cava fistula carmen.  
 O pater, ô pelagi regnator sic sine inultum  
 Me finis, iniussi nauem prædonis ad actam  
 Quin rapis hic nobis perdendam? uulsa uideres  
 Corpora iacta manu, pontoq; immersa cruento.

Iamq;

## CYCLOPS.

Iamq; uolant passim correpta cadauera, raptis  
Visceribus, riuiq; fluunt iam sanguinis atri.  
Tum capit is diri direptum lumen utrumq;  
Disiijcerem, poenas lueret, quas repperit ipse.  
Supplicijs quando nihil est his tetrius usquam.  
Tristius extre m uerbo resonet caua fistula carmen.

Vel tu si qua mei tangit te cura procellas  
In iace, ut impulsus per saxa furentibus Euris  
Frigidus exhalet uitam sine honore sepulchri.  
Quod si fata negant primosq; reuise portus  
Constituant, longis durisq; laboribus actus  
Da pater amissis socijs crudelia passus  
Hospitia, ignotasq; pererret naufragus oras.

Quin etiam exhaustis erroribus in sua postquam  
Regna reuectus erit, manus impia morte cruentet.

Hæc horrenda fremebat atrox Polyphemus ad undas,  
Que mea ne posthac quaterent tremefacta pauore  
Pectora, tu tandem ueniens dux inclyte Teucrum  
Eripis, & dira seruas à morte receptum.

Telego,  
nus in-  
terfecit  
vlyssem  
patrem

## CYCLOPIS FINIS.

## ARGVMENTVM GALATEAE.

Polyphemus pastor, cum in sylvis de Galateæ amore  
secum quereretur, & Echo eius uerbaredderet, existi-  
mans Galateam amicam alicubi latentem secum ludere,  
ac sua iterare uerba, ita tandem eam alloquitur.

# ANTONII

THYLESII CONSENTINI.

GALATEA.

QVID mecum quereris, uel me magis improbarides,  
Garrula, uocalis, mima, diserta, loquax?  
Quæ mihi nulla uideris opacis abdita sylvis,  
Sed mea dicta refers affona, nulla licet.  
Iam satis ô Galatea superq; iocosa fuisti,  
Ludere quin ludum definis insolitum?  
Quin profers formosa caput, latebrasq; relinquis,  
Inq; sinu recubantem ambitiosa foues?  
Uritas lasciva, meum iecur astuat ardens.  
Ibo ego per rupes, teq; per antra sequar.  
Nunquam hodie euades salsa fugiens super undas,  
Fluctibus aut merges lapsa sub æquoreis.  
Sed gelida mecum requiesces strata sub umbra  
Ilicis ad ripas dulce sonantis aquæ.  
Et modo blanda choros agitare uirentibus herbis  
Hospes gaudebis inter Hamadryades.  
Dum caua millesonans numeros mea garrit arundo,  
Ludit & intonsas corniger inter oues.  
Quamuis muta filet nunc fistula, buccina postquam  
Tortilis infexo turbine missa fuit.

## THYLESII

Quæ patula illudens hirsuto in pectore pendet  
Pignus, uel nostræ testis amicitiae.  
Congregat una greges sparsos ad septa, fluentis  
Hac quoq; deponunt hubera lactis onus.  
Adfoueo assidue simul ora, impexaq; menta,  
Sola etenim sedat concava testa fitim.  
Sæpius & multo sinuosa uolumine questus  
Fundit, & umbriferum personat omne nemus.  
Ac mihi dum texto calathus concrescit hybisco  
Barbatos tibi sit pascere cura greges.  
Interdum pharetrata fugacibus obuia ceruis  
Ibis Lynæo tegmine amicta humeros.  
Candentes humeros, qualis nix albet in Aethnæ  
Aeriæ incensis frigida uerticibus.  
Quæ, uelut æstiuis tabescit solibus, utq;  
Liquitur ex altis lapsa caccumibus.  
Sic miser, Aethnæo quem non minor ignis inurit,  
Soluor, & ora madeni fletibus assiduis.  
Munera quid referam? torquatas lœta columbas,  
Picta quoq; binnulei mollia terga notis.  
Qui tener assuetusq; sero, lactisq; fluore,  
Caprigenum querit consequiturq; pecus  
Tresqua per & rupes, & per frutices dumosos.  
Iamq; manu instituit carpere dente cibos.

Atq;

## GALATEA.

Atq; alia accipies: sed munera nulla mouent te,  
Saxa ego uestigans te latebrosa petam.  
Quæ nam age? quæ curuis conuallibus insonat? audis:  
Quam docili nostros reddidit ore sonos?  
Dura, proterua, procax, petulans, quæ illudis amantem,  
Quo trepidas? nullum iam datur effugium.  
Nimirum densis latet hic sub montibus, ite,  
Ite canes. rursus rettulit ite canes.  
Certum est per saltus perquirere sicubi se abdit.  
Ite canes. latrat hic, non minus illa latrat.  
Conueniant socij, pulsentur cornua bombis,  
Enreboant rauco murmure saxa iterum.  
Fallor & his forsan latet occultata cauernis  
Delia, namq; canes infremit alipedes.  
Incuditq; feris rabiem, Cadmeia proles  
Senserat irate numina seu deæ.  
Fessus an ingenti sub fornice semicaper Pan  
Se reficit. locus hic arguit esse deum.  
Oblita nam tonso molliq; sedilia musco  
Leta uirent. fons & dulcis abundat aquæ.  
Tum coma formosis procumbit Pinea ramis,  
Floret & illæso cespite diues humus.  
Excitus hic somno furit irritabilis ira,  
Seuaq; terrificis obijcit ora modis.

## THYLESII GALATEA.

*Quisquis es opperiar. mugit specus ecce resultans.*

*Quis scit an his stabulet bellua dira cauis?*


*Effer a quæ uasto si carcere forte fuisse*

*Libera, quas strages prodigiosa daret?*

*Atq; utinam me nunc ingentibus aspera malis*


*Perderet, ut tandem desinerem esse miser.*

## GALATEAE FIN



OCN 246267133

3  
la  
rei  
tele  
e. si  
la.  
me  
bre  
a q  
pm  
sum  
rem  
de<sup>2</sup>  
3.  
B.  
e  
rea  
mso  
ven  
ano  
tert  
ans  
re  
ccu  
me  
mu  
tot  
ga



This image shows a single page from a medieval manuscript. The page is filled with dense Gothic script in two columns. Two large, decorative initials are prominent: a blue 'E' at the top left and a blue 'P' in the middle left. Both initials are intricately decorated with red outlines and gold leaf. The rest of the text is in a smaller, standard Gothic hand. There are some marginalia and small rectangular boxes containing numbers or symbols.

8142-47

